non adderet ultra generaliter. et dispergam omnem terram. et visitabo super orbis mala. et
cetera que secuntur ad interitionem mundi pertinencia. Unde et adiecit. hoc est consilium
quod cogitavi super omnem terram. et hec est manus extenta super omnes gentes. Item post-
quam sub persona babilonie arguit universum mundum. rursus ad eandem quasi
de genere ad speciem revertitur dicens. que eidem civitati specialiter contigere. Ec-
ce ego suscitabo super eos medos. nam regnante balthasar. a medis obtenta est
babilonia. Sic et in oneris egypti ex persona eiusdem totum vult intelligere mundum
dicendo. et concurrere faciam egyptios adversus egyptios. regnum adversus reg-
num. cum egyptus non multa regna. sed unum habuisse describitur regnum. Quinta re-
gula est de temporibus. per quam aut pars maxima temporis per partem minorem
inducitur. aut pars minima temporis per partem maiorem intelligitur. Sicut est de
duo dominice sepulture. dum nec tribus plenis diebus ac noctibus iacuerit in sepulcro
sed tamen a parte totum triduum accipitur. Vel sicut illud quod quadringentis annis predixe-
rat deus filios israel in egypto servituros et sic inde egressuros. Quod tamen durante ioseph
egipto dominati sunt. nec statim post quadringentos annos egressi sunt ut fuerat
repromissum. sed quadringentis triginta peractis ab egypto recesserunt. Sexta re-
gula est de recapitulatione. Recapitulacio enim est dum rerum peritarum cause
futuris miscentur gestis. sicut in genesi. Dum vi. die hominem dicit fuisse factum. de-
nuo recapitulat formatum dicens. formavit dominus deus hominem ad yma-
ginem suam. Nec non et ubi expletis omnibus operibus dum dicit dominum vii.ma die requievisse. re-
capitulando subiungit. Iste generationes celi et terre quando create sunt. in die
quo creavit deus celum et terram. et omne virgultum agri. antequam oriretur super terram.
Non dum enim pluerat dominus deus super terram. et homo non erat qui operaretur terram. sed
fons ascendebat de terra irrigans universam superficiem terre. Hec omnia reca-
pitulando in serie narrationis rebus futuris nectuntur. cum intra vi. dies
et hec peracta videantur. Septima regula est de diabolo et eius corpore. quo sepe
dicuntur ipsi capiti. que suo magis conveniunt corpori. Sepe vero ei videntur
dicta membrorum. et tamen non capiti congruunt. Sicut in ysaia vero dum contra babi-
loniam. hoc est contra diaboli corpus multa digessisset sermo propheticus. rursus
ad caput .i. ad diabolum oraculi sentenciam derivat dicens. quomodo cecidisti de
celo lucifer. qui mane oriebaris. et cetera. De differencia testamentorum.

Vt / per minor per ma/iore. sicut per dan/[illegible] / in babilonia [illegible] / anni ubi [illegible] / [illegible] / [illegible] / dies [illegible] c. xv. / [illegible] et anno c. de / [illegible] / per diluvium [illegible] / [illegible] sua.

conveniunt